

I. N. 7.
**OECONOMIA
CONVERSIONIS**

ex Jerem. XXXI. 18.

JVSSV

SVMME REVERENDÆ

FACVLTATIS THEOLOGICÆ

IN ALMA ALTDORFINA

PRO LICENTIA

SVPREMOΣ IN THEOLOGIA HONO-

RES ET PRIVILEGIA CONSEQUENDI,

DISPVTAΤIONE IN AVGVRALI

ad D. xv. Julii MDCCIV.

repræsentata

à


**M. CHRISTOPHORÓ LVDOVICO
HARTMANNO,**


Ecclesiar. Rotenburgens. Superintendente, Consistoriali
& Scholarcha.

coll. diss. A
175, 29

Recudit IOD. GVIL. KOHLESIVS, Acad. Typogr. A. 1717.

175(29)





I. N. 3.



Copulus semper fuit Articulus de Conversione, in quem naufragium passura fides hominum perversorum impegit. Istum ergo adjuvante Patre lumen paulo accuratius lustrabimus, ad ductum verborum Jeremiæ cap. XXXI, 18: quæ ita habent:

השׁבָנִי וְאַשׁוּבָה כִּי אַתָּה יְהוָה אֱלֹהִים:

De Conversione transitive accepta (Scherzerus passivam vocat cum nonnullis Loc. XI. Systemat. Theolog. §. 2. p. 291.) hic agi, consentiunt Theologi nostrates, Dorscheus Theol. Zacharian. Part. II. p. 166. Gerhard. LL. Theol. Tom. III. p. 679. Kunadus Fascic. Disputat. cui nomen Comp. Locor. Theol. Disp. IX. §. 7. Id. Disp. peculiar. de conversione hominis ab infidelitate ad fidem. Hülsemannus Breviar. Theolog. p. 240. Petrus Musæus Dissert. hab. Kilon. 1673. Königius Disp. de Convers. Disp. I. §. 1. De tali enim conversione loquitur Ephraim, quæ a Deo solo provenit, hominis intellectum illuminat, & voluntatem ad mala propensam accenso in ipsa pio desiderio flexit, Christum Salvatorem agnoscendum apprehendendumque offert conf. §. 22. capit. nostri, in eoque promissam augustissimam beatissimæ virginis conceptionem נָקָה תְּסֻובֵב גָּבָר, quæque subsequam habet con-

A 2

versio-

versionem activam v. 19. postquam conversus fuero, etiam
pœnitentiam agam.

שׁוֹב [השְׁבַּנִּי] proprie notat reverti, redire in locum, unde antea discesseras, convertere se, transitive restituere, reducere, redire facere, in Hiphil enim significat actionem aliunde & ab externo quopiam agente illatam, quæ per verbum facere exponi solet, juxta quem significandi modum idem notat quod facere quempiam reverti eo unde digressus aut abductus erat conf. Gen. XX, 7. item Gen. XLIII. 11. In conjugatione Kal ergo si ejus nativum significandi modum species, significabit reducere peccatorem puta a peccatis eo unde per peccata digressus est: nempe ad fidem tanquam conversionis terminum formalem, & hac mediante ad Deum, tanquam ad terminum ejus objectivum. Sic Ps. LXXXV. 5. dicitur: **שׁוֹבֵנוּ אֱלֹהִים שׁעֲנוּ** Reduc nos, scilicet a via peccati & impietatis, ad te Deus salutis nostræ. Et El. I. II, 8. **בָשׁוֹב יְהוָה צְדָקָה** in reducere Jehovahm Sionem i. e. cum reducat Jehovah Sionem sc. a peccatis suis. Interpretes tamen Latini & Græci rem potius, quam vim verbi respicientes reddunt illud communiter per verba convertere & ἀποτίθεσθαι transitive sumta; quamvis neutrum per se eos importet respectus, quos Ebræum **שׁוֹב** ex suo nativo significandi modo importat; varias vocis **שׁוֹב** acceptiones recenset Kircherus in Concordant. Vet. Testam.

יְהוָה [הָוה] Augustum Dei nomen est, quod tanquam illustre sidus minores inter ignes exsplendescit, deque cuius varia lectio ac scriptio multa non minus inter Theologos quam Philologos diu satis sunt agitata apud Drusium, Buxtorffium, August. Pfeifferum Dissert. de Nom. Div. Verbo: Derivatur ab **הָוה** fuit, ut scilicet innatur independens illa existentia antecedens omne esse creatum illique largiens, ut quoquo modo existat: essentiator essentians: quod haud obscure innuerre voluit Deus voce **אָחִיה** Exod. III, 14. ubi quærenti Moysi de

de vero Dei nomine respondit אֶתְנָה אֲשֶׁר אַחֲרָה Ego qui
ero, sive juxta alios, sum qui sum, quo ipso probabat se esse ens
per essentiam non per participationem, ens a se. Huc ten-
dit Scholasticorum Theologorum quæstio, in qua consistat
essentia Dei Metaphysica? Dissident enim fratres Cadmæi
Arriaga, Derkennis, Ruiz, Bannesius; quod quidem Spiritus SJ
Apoc. I, 8. circumscribit prædicato ὁ παντούς, οὐδενός,
οὐδὲ τις ἐργάζο-
μενός. Estque autem id nomen הַמִּזְמֹר proprium solius Dei,
& quidem ut Cabalistæ (vid. Joh. Reuchlin. de arte Cab.)
tradunt Messiaæ. Competunt ei omnia γνωστικά nominis
proprii. 1. uni enim & soli vero Deo tribuitur. 2. nullibi
habet præpositum Η Emphaticum. 3. affixa non apponun-
tur. 4. nullibi in regimine ponitur. Insuper observant
omnia tempora vocem hanc in se continere respectu puncto-
rum. Schœva enim sub Jod esse notam futuri. Cholem
participii sive præsentis. Chamets præteriti. Atque ita vi-
deri Spiritum S. Apoc. I, 3. hanc expressisse vocem, quando
ait ὁ παντούς οὐδενός, οὐδὲ τις ἐργάζομενός. Sic Eugubinus memorat
templis Ægyptiorum hæc Dei verba inscripta fuisse: Ego
sum omne quod fuit, quod est, quod futurum est. Velum
meum nemo unquam revelavit. Non pauci ibi mysterium
Trinitatis querunt. Literam sc. Jod designare Patrem. Ut
enim ex illa reliquæ omnes ducuntur: sic esse Patrem son-
tem Trinitatis, unde Filius per æternam generationem; Spi-
ritus S. per processionem. Η ipsum Eillum, quæ duplicita
duplices naturas insinuet. 1. literam Spiritum Sanctum, qui
sit quasi copula & vinculum æterni inter Patrem & Filium
amoris: Galatin. I. 2. de arc. Cath. Verit. Jansenius in Harm.

אֱלֹהִים Derivatur nomen hoc vel ab אֵל, quod signifi-
cat potens, vel a voce אֱלֹהִים adjurari, ut alii volunt. Obiter hic
B. Megalander noster vindicandus, quem Laurentius Forerius
Arianis & Judæis bonam gratamque operam præstítisse ait:
ideo quod אֱלֹהִים Es. IX, 6. verterit Kræft, idque prolixe probare
vix

sategit in Manualia Lutheranorum P. II. c. 1. p. 181. & seqq.
cum multis aliis Cornel. a Lapide, Gretsero, Scherer, quo
stante etiam D. Paulus Arianismi accusandus esset, qui Chri-
stum expresse vocat δύων Θεόν 1. Cor. I, 26. Ceterum satis
alibi divinitatem Christi docuit. Conf. Comment. Lutheri in
Epist. ad Galat. explicat c. XLIX. Genes. & plur.

Falsum itaque est, quod Socinus apud Scherzerum in Col-
leg. Anti-Socinian. Disp. LXXV. p. 615. commentatur, lo-
qui Ephraimum in verbis nostris de conversione sive libera-
tione ex calamitatibus, quasi diceret, si ex calamitatibus nos
liberaveris, nos quoque ex iniquitatibus emergentes ad sancte
vivendum, tibique unice serviendum adspirabimus: cum quo
eadem inflat tibias Hugo Grotius, cuius hæc sunt verba:
Sensus est, hoc illos dixisse fac ut redeam in patriam & resi-
piscam. Perperam enim (B. Calovii εξηγησίς est,) verbum
dispari sensu sumitur quum manifestum sit, eum conversio-
nem ad Dominum petere, ut re ipsa convertatur. Deinde
talis intelligenda est conversio, quam poenitentia, & studium
bonorum operum sequitur, quæ a gratia divina & virtute
Spiritus S. pendet. At vero liberationem corporalem sive
conversionem captivitatis non semper sequitur poenitentia
sanctimonia, prout in liberatis a captivitate Babylonica Ju-
dæis videre est, qui maximam partem mansere impenitentes.

Illa igitur conversio, qua de Prophetæ hic sermo est, no-
tat actionem Dei. (Converte me, nempe qui es Dominus
Deus meus) qua in homine peccatore conf. v. 29. 30. Deus
per verbum legis peccatorum agnitionem seruumque de iis
dolorem: per Evangelium autem fidem in Christum operatur.
Clarius: est collatio virium credendi in Christum vel potius
accensio fidei salvificæ actualis in homine non repugnante:
quo sensu terminus a quo non est Babel seu captivitas Judæo-
rum exulum, ceu Grotius cum Socino nugatur, sed αδυταία
naturalis ὡς τοῖς πεντακοῖς, impotentia, ineptitudo vel caren-
tia

tia virium in intellectu quidem cœcitas mentis ad pernoscenda fidei mysteria vel ignorantia salutis & mediorum consequendæ salutis, in voluntate defectus virium ad bona spiritualia salubriter expetenda & ad fiduciam in iisdem collocandam.

Breviter hisce enucleatis statim succedunt

ΠΟΡΙΣΜΑΤΑ.

COnversio passiva sive transitiva a solo Deo pendet.

Verba textus nostri sunt manifestissima : Converte me, quia tu es יְהוָה אֱלֹהִי Deus Deus meus. Arguo : Quicquid Propheta a Deo petit, id non nisi a solo Deo pendet. Atqui conversionem. E.

Quippe homo sibi relictus & extra Dei gratiam totus peccato infectus est & a Deo aversus : facultates ejus omnes in malum pronæ & imago illa Dei primitus homini impressa , originali labe , quam a primo nostro parente contraximus, miserandum in modum sedata ac dissipata est. Nam inde caligo summa mentem hominis occupavit & voluntatem perversitas & in affectibus maxima perturbatio coorta est, adeo ut homo carnalis & nondum per gratiam a servitute peccati redemptus Dei sit inimicus nec se divinæ legi subjicit, imo nec facere id possit, ut docet Apostolus Rom. VIII. 8. Addimus dictum Joh. XV. 5. sine me nihil potestis facere, 2. Cor. III. 5. non sumus ex nobismet ἐκανοὶ ne ad bonam cogitationem quidem , tanquam ex nobis ipsis, sed omnis nostra ἐκανότης sive aptitudo ex Deo est Joh. VI. 44. nemo potest venire ad me, nisi traxerit eum Pater.

Frustra igitur sunt Pelagiani tam veteres , quam recentiores , cujuscunque sectæ nomine veniant seu Socinianæ , seu Synergisticæ , seu Arminianæ , seu Anti-Jansenisticæ , seu aliis gratiæ

gratiæ se opposentes , vires liberi arbitrii in spiritualibus extollentes. Quibus adde nonnemini , qui Part. 2. Disp. 8. §. 24. statuit voluntatem hominis non solum post actum consummatum (quo de nemini litem movemus)- sed etiam in ipso actu sive r̄v conversionis per auxilia gratiæ præparata esse σωεργὴν Θεοῦ , quo ipso γνησιοῦ alias Lutheranus non differt a Pelagianizantibus Pontificiis. In conversione transitive accepta solus Deus hominem illuminat & actus illos vitales efficit. Act. XI, 18. quib ipso homo pure passiive se habet & nihil εργητικῶς ad conversionem & spiritualem vivificationem confert , in conversione autem intransitive sumpta actus in regeneratione divinitus donatos εργητικῶς Deo cooperando exercet : posteaquam conversus sum , agam pœnitentiam , ait Ephraim. Docet id natura & formalis ratio regenerationis , quæ cum sit mutatio seu renovatio naturæ , Dei solius , non hominis opus esse debet , tuin quia illa homini est simpliciter impossibilis I. Cor. II, 14. & juxta Rom. VIII, 7. Φέριμα τῆς σάρκος ἐχθροὶ εἰς Θεὸν , & quæ Dei sunt , tum quia ut initio solus creavit hominem ad sui imaginem , ita ad eam solus ipsum reformare potest , & ut in generatione naturali liberi ipsi se ipsos gignere non possunt , nec quicquam conferre ad sui nativitatem , sed mere passive se habent: ita in generatione supernaturali nemo se ipsum conyterere & regenerare potest , sed solius Patris cœlestis hoc est opus.

II.

Conversio est indebita , nec tenetur Deus hominem lapsum convertere vocare ad fidem eiique vires sufficientes conferre.

Arminianis hanc thesin opponimus , qui contendunt , Deum ex æquitate teneri iis omnibus , a quibus post lapsum denuo

denuo obedientiam sub nova conditione & pacto exigit,
quosque ob eam non præstitam graviore pœna afficere vult,
vires ad requisitam obedientiam præstandam & pœnam de-
nunciatam effugiendam necessarias, vel actu conferre, vel fal-
tem paratum esse conferre a sua parte. Defens. Art. 4. Synod.
p. 3. Sed quam falsum hoc sit, textus nostri litera docet, in
qua Ephraim petit a Deo converti. Argumentatur:

Ad id Deus non tenetur, quod ab eo homo petit. At con-
versionem a Deo homo petit, **השׁבָנִי וְאֲשׁוֹבָה**. E.

Patet veritas theseos nostræ non minus ex verbis D. Apostoli
Eph. I. 3. 4. 5. ubi universæ cœlesti benedictioni, quam foli
Dei gratiæ Paulus acceptam refert, subnectuntur media con-
versionis, prædicatio Evangelii, obsignatio fidelium v. 13. 14.
conf. Eph. II. v. 2. 2. Tim. I. v. 9. Denique stante hac assertio-
ne Remonstrantium sequeretur dari obligationem Dei bene-
ficam (medicinalem cum B. Hülsemanno vocamus) erga ho-
minem lapsum qua talem, quia media gratiæ se habent ante-
cedenter ad conversionem & pro subiecto habent hominem
lapsum, quod est maxime inconveniens, cum ex æquitate Dei
naturali erga hominem peccato infectum nonnisi judicium
pœnale subsequi possit, est enim *Δικαίον αὐτῷ Θεῷ* 2. Thess. I.
v. 6. justum vi justitiæ punitivæ (Deo essentialis, sive necessi-
tatis, non libertatis divinæ, uti contra Socinianos statuimus)
sive æquitati DEI naturali conforme, ut pœnis afficiantur o-
mnes peccatores Rom. I. v. 18.

Tota autem hæc moles ruinoso falsoque nititur funda-
mento, Deum a posteris Adami illud inique exigere, quod
parens eorum nunquam habuit: vires autem credendi, sese
convertendi &c. Adamo nunquam fuisse datas, nec objectum
Christum ante lapsum locum habuisse vid. Trigland. Anta-
polog. Molin. Anatom. Arminianismi. Calov. Considerat.
Armin. p. 367. Adamus enim accepit vires credendi omni

B

Dei

Dei verbo , E. etiam verbo Evangelii , si illi revelatum fuisse, quia fides in Christum est pars & species , quæ continentur sub notione generali fidei. Accepisse autem vires credendi omni Dei verbo , patet ex perfectione naturæ , in qua conditus est. Nam qui perfecte sanctus est , omnimodam fidem & obedientiam Deo præstare tenetur , alias defectus aliquis in eo daretur , quia sic non credendo Dei verbo se infidem , eoque ipso non integrum probasset. Conf. Rob. Baronii Philosoph. Theolog. ancillant. p. 189.

III.

Conversio non consistit in congruentia & contemperatione quadam, originem trahente ex divina prædestinatione, in cuius executione Deus temperamentū hominis exactissime cognoscens, eiusmodi expectat intervallum temporis, quando homo aptus est ad recipiendum gratiæ modum, per quem ita blande invitatur, ut illico omnis pugna cesset & resistentia concidat.

Scholasticis Doctoribus dicam hic scribimus , Bellarmino non tantum , sed & in primis Jesuitis Molinæ , Lessio , Becano , Svarezio , statuentibus , Deum infinita sua sapientia prævidenter , quid unaquæque causa sive voluntas in omni eventu & occasione operatura sit , si in ea constituatur , etiam cognoscere , quando & cui vocationi sit unaquæque voluntas assensum præbitura , si ei detur : Unde quando velit hominem convertere , velle etiam illum vocare eo tempore & modo , quo novit illum consensurum . Talem autem vocationem & conversionem vocant efficacem , quia licet ex se non habeat infalli-

fallibilem effectum, tamen ut subest tali scientiæ divinæ infallibiliter illum sit habitura. Hinc Alvarez in tribus eam consistere ait: 1. in suasione, 2. in tali contemperatione suasionis, tali personæ sic dispositæ tali loco & tempore, 3. in scientia media, qua præscit, quo inclinatura sit voluntas tali tempore & occasione locata. Eundem errorem Arminianos errare evincit Samuel Rhætorfortis Theologus Scotus in Exercitat. Apologetic. pro gratia p. 502.

Sed qui ejusmodi conversionem ex verbis Prophetæ nostri elicueris? imo aperte contravenit sacris literis, ex quibus iudubie colligitur etiam reprobos vocari isto tempore, quod Deus opportunum judicat, ut possint & debeant venire. conf. Jerem. VIII. 13. 25. Jerem. XXXV. 14. ubi emphasis verbi **שכם**, **השכין** non permittit, ut de tempore alio, quam opportunitissimo, cogitemus. 2. Supponit hæc sententia, dari posse aptitudinem aliquam in voluntate non renata ad conversionem, quod Pelagianum est, & Scripturæ e diametro contrarium, quæ absolutam hominis *ad diuinam* ad bonum toties afferit, & nihili ac mortis nomine exprimere solet. *Quis vero* dixerit, dari ullam in mortuo aptitudinem ad sui resurrectionem? vel in nihilo ad sui creationem? Porro si gratia infallibiliter conversionem operatur (sic acute Rhætorfortis colligit) quia tali tempore & modo homines vocantur, insulse & falso Deus urgeret conversionem argumento ducto à temporis opportunitate: atqui hoc facit saepius in scripturis Ps. XCV. 7. *hodie si audietis vocem, non obduretis corda* Es. LV. 6. *quærite Dominum dum inveniri potest, 2. Cor. VI. 2. ecce nunc est tempus acceptum, ecce nunc dies salutis.* Imo hoc falsum esset: in multis enim hoc esset verum: non est hodiernus dies salutis, non est hoc præsens tempus revertendi acceptum, non sumus dispositi hodie, crastinus dies & sequens annus, nempe quum sit tempus, quo congrue vocandi sumus, est tempus acceptum. Nec posset Deus dicere, quid

potui amplius facere vineæ meæ? nam impii etiam in gene-
re mediorum externorum Deum sibi deesse quererentur.
Nam medicus, qui indebito modo & tempore applicet sciens
& prudens emplastrum vulneri, & eo modo, quo scit, non cu-
ratum iri: num quis diceret, eum naturali desiderio voluisse
ut curetur, aut eum posse dicere, quid amplius potui facere
ægro meo?

IV.

Conversio non consistit in irresistibili quo-
dam influxu efficacique intellectus & volunta-
tis quasi debellatione, quæ infinita virtute,
quamvis in homine irregenito, repugnantiam
superare possit.

Reformatorum sententiam ferit nostra thesis, qui do-
cent gratiam convertentem tantæ esse efficaciæ, ut eo tempo-
re, quo Deus decrevit, e. gr. Petrum vel Johannem converte-
re, effectus ille conversionis infallibiliter sequatur. Hinc
Amesius Rescript. ad Nicol. Grevinchovium cap. 7. in quo de
modo conversionis agit, sic ait: nos ut illibatam salutis no-
stræ gloriam servemus Deo, eum non proponendo, suaden-
do, illuminando tantum conversionem nostram procurare di-
cimus, sed efficacia vera ac reali voluntatem nostram sic affi-
cere, ut influentiæ ejus vi & voluntatis assensu fides vera in-
fallibili certitudine sequatur, vid. p. 98. & seqq. Gemina ha-
bet Franciscus Turretinus Professor haud ita pridem Gene-
vensis Institut. Theol. Elenctic. Tom. 2. p. 568. Johannes
Wollebius in Theol. Christian. irresistibilis inquit, hæc gratia
est, quia Deus per Spiritum S. electos suos ita trahit, ut in-
evitabiliter sequantur. Consentunt ex Pontificiis, quicun-
que cum Thoma defendunt prædeterminationem Physicam,
per

per quam, ceu formam impressam a Deo immediate efficien-
ter & proprie determinatur voluntas hominis. Vid. post Gon-
net. Clyp. Theol. Thomistic. Vincentum Contenson Theo-
log. ment. & cordis Tom. I. Lib. II. c. 2. edit. Coloniens.
p. 101. Non dissentunt Jansenistæ magistrum suum secuti,
ut eruditis notum. Conf. Tract. cui titulus : Defensio Belga-
rum contra Bullam Innocentii X. p. 12. seqq. Ait nec vola
nec vestigium hujus conversionis irresistibilis in verbis Ephrai-
mi comparet. 2. expresse dicuntur homines Spiritui S. re-
sistere, homines, inquam, dura cervice υμεis αει τῳ Πνεύματι
αγιῳ αὐλιπίσθετε Act. VII. 51. 3. pugnat cum hominis liber-
tate, quamcunque tandem omnipotentiæ divinæ & libertatis
humanæ contemperationem & conciliationem fingant Re-
formati, statuentes Deum sic attemperare suam providentiam
imo & actus gratiæ genio & naturali libertatis agendi vel
non agendi ingenio, ut suavissime conspiret insita creaturæ
rationalis libertas cum consilio divino & prædeterminatione,
qua mota voluntas actu agit & vult sine ulla coactione, ceu
loqui amat Melchior Leideckerus, Minister Lugdunensis in
Disput. Inaugural. de providentia Dei §. LXVIII. qui enim di-
cere possis, eum esse liberum ad currendum & non curren-
dum, qui ob impedimentum aliquod ne quidem pedem mo-
vere potest, esto potentiam ipsam motricem secundum se ha-
beat perfecte sanam & integrum? necessitas enim antecedens
orta ex prædeterminatione tali physica ex se & sua natura
omnino repugnat libertati; ad cuius rationem requiritur in-
differentia ad utrumlibet, quare Deus etsi sit omnipotens, ef-
ficere non potest, ut idem actus voluntatis fiat ex necessitate
antecedente, simulque fiat libere, sicut efficere non potest, ut
homo sit simul cœcus & videns, aut quod aëris simul sit lucidus
& tenebrosus. Tandem hæc sententia facile suppeditat an-
sam ad securitatem, contemtum & fastidium mediorum, quæ
Deus adhibere solet ad gignendam efficiendamque in homine

conversionem. Nam si ante prædeterminationem istiusmodi irresistibilem & vorticordiam (liceat cum adversariis loqui) nemo se convertere potest , & simul atque irresistibiliter vocatur , eum protinus converti necesse est , jam irrita erit omnis cura nostra atque solicitude. Imo si vinea Domini , postquam omnia media necessaria uvis ferendis a Deo vintore fuerunt adhibita & eo quidem fini , ut ipsa fructus ferret ea mensuua & plenitudine , ut ad ipsius vineæ judicium instituta provocatione eam de sufficientia illorum mediorum Deus convicat , & quidem Deo ob ista media adhibita uvas expectante & aperte de spe elusa conquerente additis gravissimis minis ob latas uvarum loco labruscas , potuit fructus nou ferre , imo revera non tulit , sequitur Deum non operari in conversione irresistibiliter A. E. Prius habetur in terminis Esa. V. 1. seqq.

V.

Conversio hominis est actio successiva.

Probamus assertum ex verbis Salvatoris Marc. IV. 16. 17. 18. quicquid enim producit primo herbam , dein spicam , postea fructum plenum in spica , illud ipsum agit successive , quod unum post alterum producit , id successive agit. Homo siquidem convertendus præparatur paulatim per gratiam prævenientem & gradus illius usque ad ultimum $\nu\nu$ conversionis consummatæ. Primo pulsat Deus cor hominis gradu minori , quem pulsum si homo admittit , sequitur gratia major : gratiam prævenientem excipit gratia excitans , hanc gratia operans , operantem perficiens , ut Theologi nostri loquuntur : alias appellationis gratiæ ejusdem sive gradus sive species apud Bellarminum , Perrotum , Bonaventuram recentet B. Hülsemann. Diatrib. de Auxil. Grat. Disput. I. §. XI. Non igitur talis est mutatio , quæ uno momento statim omnibus suis partibus absolvitur & perficitur ; sed habet illa suum initium

initium & progressum, non absimilis miraculosæ cœci istius sanationi Marc. VIII. 24. 25. qui, impositis prima vice Christi manibus super oculos ejus obscuriuscule vidi homines, quasi arbores ambulantes; iterum vero impositis manibus Christi plane restitutus clare vidi. Similiter primi conversionis motus obscuriores & debiliores sunt, cum Spiritus S. cor apriens (quod de Lydia purpurarum venditrice legitur Act. XVI.) sanctam quandam de rebus divinis cogitationem cum voluntatis pio quodam desiderio, & conatu saltem tendente in illa ut acquirenda in eo excitat; quam deinde inter multas mentis dubitationes carnisque pravæ oblationem, gratiam suam continuando, fovere, sustentare, sensim & paulatim augere & eo usque provehere instat, ut voluntas, virtute istius gratiæ & promptius in spiritualia feratur & intellectum efficacius ad fidei assensum determinet. Unde non cogitandum est, nos secura & ociosa voluntate velle expectare, donec conversio sine nostro motu sola operatione Spiritus S. absoluta fuerit; sed conando, quærendo & pulsando, quantum viribus gratiæ poterimus ad conversionem eniti oportet. Sane ex historiis Ecclesiasticis constat, quod multi, qui ad Christianismum versi sunt, non per unum vel alterum diem, sed sæpe per aliquot menses vel annos dubii hæserint & luctam carnis & spiritus in seipsis experti modo in hanc, modo in illam partem propenderint, donec tandem gratia Spiritus S. prævalente plenus fidei assensus fuerit secutus, quod de seipso Augustinus fatetur Confess. Lib. VIII. cap. 5. cui titulus: quæ remorabantur eum a conversione pag. 191. edit. Coloniens. Hinc B. Chemnitius P. I. Loc. Comm. cap. VII. Conversio non est talis mutatio, quæ uno momento statim suis partibus absolvitur & perficitur: sed habet sua initia, suos progressus, quibus in magna infirmitate perficitur. Neque enim in puncto aliquo mathematico ostendi potest, ubi voluntas liberata agere incipiat. In principio desiderium est obscurius, assensus languidior,

dior, & illa oportet crescere : crescunt autem in nobis, non sicut truncus violento impetu provehitur, vel sicut lilia non laborantia, non curantia crescunt, sed conando, luctando, quærendo, petendo, pulsando : hoc non ex nobis, Dei donum est.

VI.

Conversio, quæ solo ductu naturalis notitiæ sine subsequa fide fit, nequaquam est salutaris illa & salvifica, quam Propheta in Textu innuit.

Probatur : a Deo converti petit Ephraim E. sola illa est salutaris 2. in conversione extinta infidelitate acceditur & confertur homini fides, cum non solum ex conversione immediate fluat, sed etiam contradistinguat subjectum conversum a quovis alio.

Iis hæc thesis est adversa, qui Zwinglii istud notum Φορτικὸν ἀναγνωστα : Herculem, Theseum, Numam, Aristidem, Socratem & similes heroas cœlo esse adscribendos, (quem Turretinus Instit. Theol. Elenct. P. I. p. 17. utcunque excusare satagit,) interpolantes conversionem & salutem æternam ductu notitiæ naturalis obtineri posse afferunt, Moyses Amyraldus, Pastor & Professor in Academia Salmuriensi, Dallæo gratiæ universalis quodammodo vindici ὁμόληφος & Stephanus Curcellæus Quatern. Dissertat. quibus häud immerito adjungimus Adolph. Venator. Tractat. Verantwort tegen die Prediger van Dordrecht, & Eduard. Bar. Herbert de Cherbury & Kerri in Hybernia Tractat. ante hos XL. annos primum, nunc iterum sub auspiciis seculi hujus recens impressum, de Religione gentilium errorumque apud eos causis.

Confirmamus assertum manifestis sacrarum literarum dictis Act. IV. 12. non est in alio quoquam salus nec aliud nomen, quam Christi est sub cœlo quod datum sit inter homines per

per quod oporteat nos salvari. Joh. XIV. 6. nemo venit ad patrem nisi per me, Joh. VI. 44. nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit illum. Ubi frustra Curcellæus excipit Lib. Instit VIII. p. 457. ex ejusmodi dictis nihil colligi posse, nisi ordinarium conversionis & salutis modum, inde tamen non sequi, Deum extra ordinem non largiturum iis fidem, qui probe & secundum naturæ lumen vixerunt ; nihil enim obstat, quo minus plus præstet, quam promiserit, præsertim cum tot voluntatis in hac parte indicia dederit : Respondemus enim dicta hæc tamdiu , prout sagent sumenda, & pro propositionibus $\kappa\tau' \pi\alpha\tau\circ\sigma$, id est, de universali subiecto & perpetuo tempore habenda, donicum clara aliqua ex ipsa S. Scriptura non ficta conjectura , proferatur instantia. Verba enim Dei de salute nostra sunt verba fœderis , regulæ & Testamenti, adeoque stricte & prout sonant, interpretanda, & ubi autor fœderis sive Testator nihil excipit , ibi nec nobis id facere integrum est, ad hæc verba Deus fidem nostram astrinxit , ita ut extra ea asserere velle : Deum plus daturum , quam promiserit , non fides sit, sed arcano Dei decreto temere illata vis.

Et quæso annon pollicem premit Socinianis hæc sententia , qui negant fideles in V. T. credidisse in Christum & per fidem in eum salutem adeptos esse ? Socin. Smalc. & sequaces pari ratione, qua Curcellæus, mulierem Cananæam , Rahab , Gedeon conversionis & salutis participes factos esse asserit generali quadam in Deum miraculis & omnipotentia insignem confidentia. Conf. Dissert. Musæi de Quæstione : Argentiles absque fide in Christum per extraordinariam Dei gratiam ad salutem æternam pertingere possint. &c. §. XLV.

Alium eundemque $\gamma\mu\sigma\tau\circ\sigma$ conversionis modum, non solum naturæ ductum B. Augustinus refert supra citat. Libb. Confession. Lib. VIII. cap. 2. p. 189. seqq. Victorinus ille doctissimus senex & omnium liberalium doctrinarum peritissi-

C

mus,

mus quippe Philosophorum tam multa legerat & dijudicaverat -- Statuam in Romano foro meruerat , & acceperat , usque ad illam venerator idolorum , sacrorumque sacrilegorum particeps , -- o Domine , Domine , qui inclinasti cœlos & descendisti , tetigisti montes & sumigaverunt , quibus modis te insinuasti illi pectori . Legebat , sicut ait Simplicianus , Sanctam Scripturam -- sed posteaquam legendo -- ait Simpliciano : eamus in Ecclesiam -- Nempe hoc conveniebat divinæ isti immensæ bonitati , ut quandoquidem homini invidens est , qui convertatur , ipsi per verbum innotescat . Conjungit itaque Deus cum verbo audito , lecto , ruminato suam peculiarem vim , efficaciam , ἐνέργειαν ac gratiam actualem , intus in animis hominum operantem , qua illis ipsis illuminantur oculi mentis ut intelligant hæc Deum loqui , fletitur etiam voluntas ut intellectui præeunte illo in se accenso lumine jam intelligenti hæc Deum revelare atque dicere , suaviter imperet assensum . Ita fide certa & firma , sine hæsitatione & metu falsi sermonem illum , quem audiunt homines , excipiunt non pro sermone hominum , sed sicut revera est , pro sermone Dei , quod etiam agit in iis , qui credunt , 1. Thess. II. 13. Ipse Spiritus Sanctus est , qui testificatur spiritum (doctrinam Spiritus S. verbum) veritatem esse & ipse interna sua unctione 1. Joh. II, 27. mentem intus demulcet , ut sine hæsitatione verbo ejus revelato , lecto , audito , ruminato assentiantur homines , & credant hæc a Deo dicta , & hoc nomine verissima esse .

VII.

Eadem est οἰνορούα Conversionis in Veteri & Novo Testamento .

Probatur Πόλεμα ex eo , quia iisdem illam verbis Prophetæ noster describit , quibus Scriptores N. T. eandem insignive-

signivere , 2. unus in V. & N. Testamento est salutis modus
 $\kappa\alpha\theta' \sigma\pi \tau\epsilon\omega\sigma \kappa\alpha\kappa\epsilon\nu\sigma$, $\pi\iota\sigma\epsilon\mu\mu\sigma \sigma\omega\theta\eta\sigma\sigma$, dicunt Patres Sy-
nodi Hierosolymitanæ Act. XV, 11. Vindicias hujus dicti ex-
hibet Heideggerus in Libertat. Christianor. a Leg. Cibar. Vet.
Cap. X. pag: 195. quem consule, & inductione res fit clarius,
nam a lapsu Adami usque ad diluvium per & propter Chri-
stum in Protevangelio promissum & salvifica fide apprehe-
sum salutem & justitiam pientissimi Patres consecuti sunt,
E. & eodem modo fuere conversi. Idem justificationis &
conversionis ordo viguit in populo ex Ægypto in Canaan
translato tempore prophetarum : ad quos etiam Salvator
provocat Luc. XXIV. Joh. V. Denique Paulus Abrahamum,
cui fides sua in justitiam est reputata , allegat ceu exemplum
ideale , homogeneum & virtualiter universale justificationis ,
inde & conversionis Rom. IV. 4. qui ideo addit vers. 23 : non
est autem scriptum hoc tantum propter ipsum , quod repu-
tatum sit illi , sed & propter nos , quibus reputabitur creden-
tibus in eum , qui suscitavit Jesum Christum Dominum no-
strum a mortuis.

Varia circa hoc momentum habet Joh. Coccejus & sequa-
ces , quæ non olen $\iota\omega\sigma\tau\omega\omega\sigma\pi \nu\gamma\alpha\eta\pi\tau\omega\lambda\epsilon\gamma\omega\sigma$, de statu Pa-
trum V. T. ante adventum Christi sub maledictione ejusque
reatu positorum , illorum subjectione ex parte diaboli , caren-
tia quietis animæ ac tranquillæ conscientiæ , nec non liberta-
tis ac fiducia accedendi ad Deum , Christo in V. T. solum-
modo existente sponsore seu fidejussore , non autem expro-
missore , unde infastum illud lemma : Patres dictos non
 $\alpha\Phi\pi\sigma\pi\pi$ seu plenariam & proprie dictam peccatorum remis-
sionem , sed saltem $\pi\alpha\beta\pi\sigma\pi\pi$, verius conniventiam , dissimula-
tionem & prætermissionem habuisse , conf. viri celeberrimi
explicat. epistol. ad Galat. cap. 3. Summ. Theolog. cap. 51.
Guilielm. Momma de stat. Eccles. & , qui totus in refutandis
Cocceji strophis est , Leideckerum in primis Lib. V. Sect. I. p. 3.

C 2

Ver-

Verbo : Patres V. T. vixerunt sub foedere gratiæ, habuerunt remissionem peccatorum & sic eandem conversionem & salutem : Patres credidere in Christum, E. perfecte fuere justificati, salvati & conversi. Cum enim fides potissimum consistat in fiduciali apprehensione & applicatione justitiae Christi & satisfactionis ejus perfectissimæ, sive ut jam præstitæ, sive ut infallibiliter præstandæ, quam sequitur pax cum Deo, παρρησίᾳ ad ipsum accedendi, tranquillitas conscientiæ, & solida consolatio in vita & morte ; concipi non potest, quo modo, qui tali fide præditus est, possit dici esse adhuc sub reatu & conscientia peccati, & sub execratione legis. Imo durum videtur & parum consentaneum gratiæ Dei beatis viris indultae, in qua toties gloriabundi exultant, ita de ipsis sentire. Quam magnifice enim divus Psaltes de homine converso & justificato Psal. XXXII. 1. אָשְׁר־נִשְׁׂוִי פָשָׁע : אֲשֶׁר־אָדָם Add. Mich. VII. 18. 19. Esa. I. 18. Esa. XLIV. 22. Psal. CHI. 1. 2. 3.

Tandem falsa nititur hypothesi Coccejus, ac si diversissimæ notionis essent vocabula ἀφεσίς & παρέστις, quarum posterior sub Veteri, prior sub Novo Testamento obtinuerit. Num ἀφεσίς & παρέστις promiscue apud probatos autores usurpantur, quando de remissione peccatorum agitur, & Christus ante actualem peccatorum expiationem morte sua factam non potuisset dicere peccatrici isti ἀφέωντάς σοι αἱ αμαρτίαι Luc. VII. 47. Et ibi utique est ἀφεσίς, ubi est plenaria remissio ab omni obligatione poenali & personali, neque aliud potest esse remissio, quam condonatio & non punitio, ne in judicium quis vocetur, aut exigatur ab ipso poena debita. At vero Patribus Vet. Test. talem remissionem datam fuisse, negari non potest, cum salutis facti fuerint participes.

VIII. Me-

VIII.

Medium Conversionis est verbum Dei.

Supra laudatus Königius, hujus Academiæ immortale nomen, verbum, inquit, prædicatum est causa instrumentalis, per quam Deus ordinarie conversionem vult efficere Rom. I. 16. Eph. I. 13. in tantum, ut ex Scriptura S. nullum possit proferri exemplum, quo secus doceatur, vel totas provincias & civitates, vel ullum etiam privatum hominem O R D I N A R I O modo fuisse conversum, nisi mediante verbo prædicato. Verbum prædicatum (*εὐαγγελισθεί*) semen est, quo homo regeneratur I. Pet. I. 23. 25. unde Paulus etiam scribit: In Christo Jesu *Νέος εὐαγγελίσθηται ψυχή σα* I. Cor. IV. 15. Idem Propheta noster Jeremias docet, totus quippe in eo occupatus, ut *πάσαν τὸν βραχὺν θεός*, quæ ad salutem est, annunciet.

Hoc ipsum Dei verbum ideo confertur imbris & nivibus, quibus inest vis ineibriandi, fœcunditatem atque germinationem promovendi, per amicum in terram illapsum Esa. LV. 10. 11. qua collatione indicatur illapsus verbi prophetici in animos hominum, quod analogam illi physicæ, supernaturalem & divinam virtutem in se continet ad fœcunditatem, germinationem & ebrietatem sive plenitudinem spiritualem: confertur ab ipso nostro Propheta cap. XXIII. 29. malleo conterenti petras, quia nimis corda dura, lapidea, pœnitere nescia emollire & commovere vallet: confertur ibidem igni, qui sicut omnium elementorum est actuosissimum & efficacissimum, imo juxta Sennertum & alios recentiores naturæ Mystras natura & agendi virtute agendi cœlo seu cœlestibus cognatum, ita verbi vis est longe maxima & penetrantissima: confertur sagittis, quæ humano adactæ corpori penitissime inhærent, & acerbissimos

dolores secum ferunt Psal. XXXIX, 3. confertur gladio anci-
piti & pertingenti usque ad divisionem animæ & spiritus,
compagum item ac medullarum Hebr. IV, 12. (quem locum
cum plerisque Nostratium de $\lambda\circ\gamma\omega\ \pi\varphi\circ\varrho\chi\kappa\bar{\alpha}$ intelligimus,
(quicquid una cum Patrum nonnullis obvertant Menochius,
Tirinus, Cornelius a Lapide, Daniel Heinsius in Exercitat.
p. 558. & pro statim ihandis emblematis suis Rathmannus
efficaciam divinam impugnator quondam haud ignotus), quia
punctim cæsimque ferit peccatorem, & omnes corporis at-
que animæ vires viribus p. meat suis : commendatur elogio
feminis, qualiter commendari non potest, nisi per essentiam
& formam intrinsecam vegetabile sit, Marc. IV, 27. voca-
tur Spiritus & vita, Joh. VI, 63. non solum ob finem ulti-
mum, ad quem dicit, vitam gloriæ, sed & quia vim vivifican-
di habet.

Τερατολογίας & strophas dissentientium Schwenckfeldian-
orum, Anabaptistarum, Blanckii cuiusdam Ministri Dan-
tiscani, Casp. Movii, Weigelii, imo & eorum, qui in negotio
conversionis non nisi moralem suasionem verbo Dei compe-
tere statuunt, Twissi puta & Riveti, nolumus prolixè adscri-
bere ; in vulgus noti sunt. Breviter : Omne verbum Dei ve-
ram, realem & proprie dictam virtutem & efficaciam con-
vertendi, movendi, illuminandi una cum Spiritu S. perpe-
tuo & inseparabiliter conjunctam habet. Verbum Dei qua-
tale ne fingi quidem potest sine divina virtute aut sine Spi-
ritu S. qui a verbo Dei inseparabilis est, hoc est, grata spiri-
tus S. virtus & operatio ab hoc sanctissimo organo suo nun-
quam abest, sed eidem indiviso & indivulso nexu assistit.
Nam gratiae vehiculum verbum Dei est : Spiritus S. ut causa
principalis, & verbum ut causa media simul operantur homi-
nis conversionem, non tantum tempore, verum & natura.
Spiritus S. quidem natura prior est verbo divino qua revela-
to, ast non queritur, quid natura prius sit aut dignius, sed
quid

quid natura prius agat. Spiritus S. semper, & individuo nre-
xu cum verbo suo unitus est vi *Geotvēusias*. Conf. Censuras
Theoll. Wittebergens. contra Movium & Rathmannum, Gry-
phiswaldens. item, Calov. Syst. Tom. I. f. 696. Jenenses to-
tam litem sic definiunt : Das Wort Gottes in der Schrift
verfasset/ daraus gehöret/ gelernt/ betrachtet/ das ist das or-
dentlich und geheiligte Mittel dadurch der H. Geist den Ver-
stand von seiner Blindheit / Finsternis und Irrthum entle-
diget/ mit neuem Lichte und Erkäntniss beseeligt/ dadurch er
den feindseeligen Willen und die verkehrt Gedanken ver-
ändert / und mit heiligen gottseeligen ersetzt. Utrum autem
verbum Dei sit causa agens physice, an moraliter, si queras : R.
afferendo prius. Supponentes το agere physice, non esse sumen-
dum pro actione naturali seu physica, contradistincta actioni vo-
luntariae aut supernaturali, sed pro realitate influxus, quod scili-
cet vere & proprie influat in effectum , sive sit libera tantum ,
sive naturalis , sive utraque simul : Ratio , quia in se & sua
indole naturali complectitur illam divinam vim & δύναμιν
admirandam , medio eius *Δημόσια* conversionis ordina-
rie absolvitur , vi dictorum in hoc ipso perismate allegato-
rum. Arminianos confutavit laudatus Calovius in Consi-
derat. Arminianism. Cap. XVII. §. XLI. qui quidem in Con-
fess. seu declaratione ut vocant Sententiae Pastorum Remon-
strantium edit. Herderwic. a. 1622. securi hanc quæstionem
prætereunt.

IX.

Conversionis gratia ex parte Dei est univer-
salis & omnibus destinata.

Disquirunt Nostrates circa hoc pūntum, an Spiritus S.
conversionem in omnibus hominibus operari velit, & porro
si velit, cur non efficiat? Siquidem conversio in solidum sit
opus

opus Dei. Hic ille Achilles est , ad quem succubuit exercitissimum Magni Augustini ingenium , dum in confictu Pelagianorum istiusmodi urgebatur objectione : Si specialis Dei gratia sive adjutorium ejusdem hominem ad conversionem determinans ad conversionem requiritur , homines , qui non convertuntur , non sua sed Dei culpa in peccatis manent , ut pote gratia convertente destituti , quæ eis negata fuit. Scripta Beatissimi Præsulis Lib. I. de Bono perseverant. cap. 8. ut & Enchirid. c. 103.

Recentiores ex Reformatis , qui moderati esse volunt , tum Galli Salmurienses , Amyraldus , Tostardus , Johannes Dallæus Vindic. Apologet. contra Maresium , tum Germani Blondellus , Crocius , Bergius & alii , ad quos Stoschins in **Summarischen Bericht** provocat , Deum afferunt omnes velle salvos fieri , omnes converti , SI CREDANT . Non posse autem eos credere , quia Deus nunquam decreverit fidem iis largiri : Verum nec sociis in fide hæc universalis (si tamen ita dici potest , quum ipse Dallæus nomen deprecetur) gratia conversionis arridet , prouti ex Scriptis Spanhemii , Maresii , Molinæi satis liquet , nec alio quam derisoriae , frustraneæ , histricæ , deceptricis gratiæ nomine iis salutatur , nec aliam nisi particularem & ad electos duntaxat restrictam importat . Nam quid est conferre vel destinare aliquid sub conditione impossibili , quam præstare non possis , quam id ipsum non destinare ? an illi Deus serio destinavit convivium sub conditione , ut se ad id veste conveniente exornaret , quem novit & mendicum esse , & vestem non habere , nec nisi se dante habere posse , illi vero eam dare non vult ? Potius gravissimum , & quo majus dari nequit odium est , denegare alicui id donum , sine quo nec salus attingi potest , nec evitari damnum . Fac principem suspendere beneficium aliquod a tessera & tesseræ istius tum patefactionem , tum donum ab eo solo pendere , & eum neutrius gratiam facere velle innueris ,

meris, quis credat, Principem istum serio voluisse omnes omnino beneficium istud consequi? An si prævideret Rex (Spanhemii simile est), captivos ne velle quidem posse sui liberationem, nec tamen nisi sub ista conditione liberationem illis destinaret, imo nec pretii solutionem, nec conditionem illi annexam innumeris revelaret, dicine is posset serio omnium captivorum liberationem velle? Sane propositione de conditione impossibile æquipoller negant. Deus enim conditionem per naturam impossibilem adeo non posuit pro hypothesi voluntatis suæ, hoc vel istud agendi, quam vir prudens non proponit filium suum educare ad studia, si a finis volaverit, & nemo conditiones notorie impossibilis apponit seriæ promissioni alicujus beneficij: In o Deum velle omnes converti, si credant, nil aliud, quam Deum velle homini dare alas, sed cum conditione prius in turrim volandi. Non immerito hoc referas, quæ alias ad extinguidam in Deo voluntatem antecedentem contra Nostrates, DD. Pontificios & Arminianos tela vibrat Rhætorfortis Exercitat. de Voluntat. Anteced. & Consequent. quibus ipsorum sociorum sententia impetratur, vid. p. 341. seqq.

Denique illi ipsi Moderatores ad particularismum Fratribus communem relabuntur, tantum abest, ut gratiam dilectionis, vocationis & conversionis, particularem rejiciant. Vid. post Hülsemannum in Vindiciis, p. 48. Autorem des ausführlichen Gegen-Berichts wider Stoschium pag. 17. sqq. Imo. iuxta hosce Doctores Deus est medicus suscipiens curationem multorum desperate ægrotorum (rectius dixeris in peccatis plane mortuorum, ne in Pelagianorum vel Semi-Pelagianorum pelagus labare præceps) & æqualiter laborantium. Medicus habet varia medicamenta, quorum alia aliis gradu virtutis & efficacia sanandi præstant: quædam infallibiliter morbum tollunt, quædam movent, sed non prorsus expellunt, quædam vix movent, possent etiam morbum pellere,

D

nisi

nisi esset adeo desperatus : quia autem medicus ex sola gratia medetur omnibus & singulis pro lubitu medicamenta distribuens , quæro an hic medicus ex animo gloriari possit , se omnium salutem quæsivisse & voluisse , qui tamen non omnibus proposuit medicamenta revera sufficientia ad expellendum morbum ? plane non . Hinc ipse Tostardus tandem in scripto quodam Apologeticum num. 9 faretur : Non possum mihi persuadere , quod Deus desideret desiderio ardenti & vehementi salutem hominum , quibus non vult dare gratiam sine qua absolute non possunt salvari : quod velit rem sub conditione absolute impossibili : quod velit salutem omnium , ut etiam filium dederit propitiationem pro peccatis , nec vult tamen gratiam dare ad applicationem istius remedii .

X.

Conversio est amissibilis.

Reformatos hæc positio petit , qui propter absolutum electionis decretum negant semel justificatos posse amittere Spiritum S. gratiam conversionis , justificationis , adoptionis , adeo ut e. g. Davidem adulterum & homicidam fidem nequam amississe doceant Calvinus Lib. III. Institut. cap. Chamier Panstrat. Catholie. Tom. III. Lib. III. cap. 20. Pareus in Irenico , Amyraldus , Spanhemius , autor libelli in Belgio superiori seculo impressi , cui titulus : Safer / welche begreift den Unterschied zwischen der Lehre / welche in den Reformirten Kirchen in Frankreich / Engelland / Schottland ic. gelehret wird / und zwischen der Lehre / so die Neulinge haben / welche Remonstranten / Arminianer oder Vorstianer genennet werden p. 46. Cloppenburg. append. Disp. Gangren. Anabaptist. opposit. Sam. Maresics Disp. peculiar. de Perseverantia Sandor. Turretinus statu controversiæ adversus Arminianos (Lutheranos vir pacis studiosissimus generali vocabulo patronorum apostolorum

staſiæ

stasiæ sanctorum comple&tus) Socinian. & Pontif. probe
formato , negant, inquit, constanter orthodoxi , qui habitum
fidei electis inductum posse quidem interdum intendi , vel re-
mitti censem , firraiorem vel languidiorum esse pro ratione
peccatorum incurrentium , sed ita , ut nunquam penitus &
finaliter deleatur & amittatur , nec gratia regenerationis semel
homini collata penitus ab eo auferatur.

At vero noster Ephraim toties apud Jeremiam deficiens
& denuo converti petens in textu assertionis hujus veritatem
comprobat , cui addimus expressa Spiritus S. verba de possi-
bili Sanctorum apostasia Ezech. XVIII. 24. Si averterit se ju-
stus a justitia sua & fecerit iniquitatem secundum omnes abo-
minationes , numquid vivet ? Nec desunt tragica illa rela-
tions exempla in Veteri & Novo Testamento , Protoplasti ,
Moses , Aaron , Salomo , Hiskias , Petrus , peccatrix illa famo-
sa , Demas , videsis Hulsemann. Praelect. in Formul. Concord.
p. 887. Frustra ad hæc exempla Turretinus excipit : aliud
esse labi in peccatum , aliud regno peccati subesse , aliud esse
labi in lutum , aliud in lutum se projicere , & cum voluptate
ibi volutari : citatos Santos pricri , non vero posteriori mo-
do , peccasse. Annon enim Samson diu in peccatis se volu-
tavit ? anne Demas ad momentum vel punctum aliquod ma-
thematicum adhaesit mundo faciens fidei naufragium ? an-
non David latro & adulter diu se volutavit in luto mendacii ,
dolorum , immundicie per ingens multorum mensum spa-
tium , dum a Nathane revocaretur ? De Petro quidem Chri-
stum abnegante mitius sensere Patrum Ecclesiaz multi. Sed
obstat abnegationis iterata repetitio & peccati ipsius turpitu-
do. Enimvero renati possunt a Deo vivente deficere Heb.
III. 12. nam Galatas suos accusat Apostolus Gal. V. 4. τὴς χά-
ρετος ἑγενέσατε , sal insulsum redditur Marc. V. 50. multi eo-
rum cum canibus redeunt ad vomitum 2. Pet. II. 21. pedes
lotos denuo inquinant , Cant. V. 3. in spiritu incipiunt , sed in
earne finiunt.

D 2

Multæ

Multa sunt, quæ Reformati pro adstruenda Sanctorum perseverantia in medium adferunt, imprimis sæpe citatus Turretinus, petita tum ab electionis firmitate, natura fœderis gratiæ, illustribus Dei promissionibus, custodia & conservatione fidelium, tum a felici Electorum statu, qui sunt oves e manu Pastoris nequaquam rapiendæ, membra petræ, pars Ecclesiæ ædificata super rupem seculorum immotam, quas nec vis mortis & sepulchri, quæ sæpe per ἀδελφούς πύλας designari solet, detinere & perdere valeat &c. Nam 1. distinguendum est inter lapsum converforum totalem & finalem. 2. fœdus Dei manet firmum, quamdiu pii verbum Dei audiunt, idque in bono corde custodiunt, Sacramentis rite utuntur, fidem habent, eamque per opera vere bona probant; verum possunt, qui jam sunt pii, postea verbum non audire, Sacramentis non uti. Exemplo sunt Iudei, quibuscum Deus fœdus perpetuum iniit, sed cum conditione obedientiæ, eam vero quoties non præstabant ii, neque fœderis secum initi bonis frui poterant. 3. Promissiones illæ Dei non sunt absolutæ, sed intelligendæ in sensu composite, 4. electi sunt oves non rapiendæ, dum sunt oves, sed non est consequens, eos non posse definere esse oves, nemo potest αρπάζειν τοις βαταίν την χειρόν Θεόν, quamdiu deditæ sunt Christo, & ut oves vocem ejus audiunt, pastoremque agnoscunt ac sequuntur. 5. Quod de Ecclesia petræ Christo superædificata dicitur, non stringit. Nam male ducitur argumentum a toto dissimilari ad partes singulas: ut enim non valet, homo moritur, E. etiam anima, homo loquitur, etiam pes, ita etiam argumenti illius nulla vis erit, quia Scriptura teste, Ecclesia tale est totum, in quo non tantum boni & in fide semper perstantes, sed etiam mali & a fide deficientes reperiuntur. Demus tamen de invisibili Ecclesia, quod volunt Reformati, dicta hæc & talia agere, da vere credentium in Christum cœtu; non sequitur inde impossibilitas excidentiæ

e statu

• statu gratiæ & conversionis. Dicimus istiusmodi credentes quamdiu manent in corpore , gratiam Dei, fidem ac conversionem non amittere , ex quo tamen non statim consequitur, quod semper & absolute maneat, nec talia bona fidei , conversionis , justificationis , adoptionis , obsignationis &c. amittant, nam utrumque verum est, Ecclesia Christi ejusque vera membra semper Deo sunt chara , & quædam Ecclesiæ vera & viva membra , (dum talia esse desinunt) deficiunt, fiuntque putrida atque a corpore absinduntur. Non magis igitur militat hoc argumentum, quam illud: Si species humana, equina, leonina , mansura est perpetuo, nullum ejus individuum perire potest, sed illud, E. Verum individua singula pereunt: teste experientia.

Non male igitur Remonstrantes in Confess. seu Declarat, p. 61. Actus divini conversionis, adoptionis &c. modo continui sunt, in modo interrupti: qui scilicet tantisper hic durant, quamdiu durat conditionis requisitæ in nobis præsentia. Interrumpuntur vero, quando nos pactis amplius non stamus, sive cum a nobis actus ejusmodi committuntur, qui cum vera fide & conscientia bona consistere nullo modo possunt, juxta id quod est apud Ezechiem: Si aversus fuerit justus — propter prævaricationem suam , qua prævaricatus est — morietur. Cui consonant complura alia id genus sacra testimonia simul & exempla.

Δ. T. Θ. M.



D 3

CO-

COROLLARIA.

I.

Fundamentum Juris Dei in hominem, non est sola $\tau\omega\epsilon\rho\chi_i$, nec sola Dei sanctitas, nec delictum $\epsilon\sigma$ demeritum, sed $\tau\omega\epsilon\rho\chi_i$ beneficiis stipata, contra Szydlovium, Hobbesum $\epsilon\sigma$ fac. Arminium.

II.

Deus creaturam innocentem ad eterna suppli-
cianequaquam damnare potest, contra
Szydłou.

III.

Objectum fidei non potest esse falsitas aut mendacium, contra Piscator. Et nonnullos.



Eccle-

Eccliarum, quas Tubaris rigat,
HARTMANNE solers, Präful amabilis,
Magni Parentis magne Fili,
Eusebie nivea coruscans.

Est, quod tuorum cœlica nisuum
Bene ominatis augmina vocibus
Vehamus, ex alto voentes
Largifluam benedictionem.

Conversionis mirificas vias
Hæc dum revelant mystica lemmata,
Myrmeciorum das sacrorum
Multijugos forulos tuorum.

Opus supremi scilicet Arbitri,
Dextræque factum cunctipotentis est,
Abducere a pravo instituto
Mentem hominis, meliora doctam.

Non semen isthoc nascitur intima
Nostri medulla pectoris; altior
Id aura spirat, seminatque
Lucisator Deus hunc agellum.

Fru-

Fruges seqvuntur, quas bene demetit,
 Qvarumque sacra haud pectora suppudet.
 Sic filios gignit beatos
 Altiparens sibimet Jehova.

Id disputans hæc pagina plenius
 Diducit, addens antithesin thesi,
 Implensque mensuram orthodoxi
 Harmonia probiore Scripti.

Grator recessu e pectoris abdito
 Molimen ingens, & precor, auxili
 Benignioris fulgida cœstro
 Sospitet orsa Deus superne!

*Meritissimis honoribus Excellentissimi
 DOMINI EPHORI applaudens,
 & Ecclesie Inclytæ Rotenburgensi
 diuturnam sub Ejusdem directorio
 benedictionem ac prosperitatem
 devotius apprecans, id scribebat*

CHRISTOPHORVS Sonntag/
 SS. Theol. D. & Prof. primarius,
 h. t. DECANVS.



Coll. Diss. A. 175. v. 29